

tandem omnibus, pro iuuenilis ingenii viribus, rite pen-
 fitatis, recta me incessurum credidi via, si numeris Cui-
 cianis nomen darem. Id quibus argumentis factum
 sit, nunc breuiter atque ea modestia exponam, quae iu-
 uenem decet, bene conscium, praeter hanc se nihil ha-
 bere, quo cum tantae doctrinae & acuminis Viro, qua-
 lis Amplissimus est ARNALDVS, certare possit. Hunc
 autem unum, in dubiis, quae animum versant, propo-
 nendis, nominare iuvabit, tum quod, quae in aliis dis-
 persa iacent, argumenta in unum collecta habeat, tum
 quod & noua adiecerit & omnia praeclari ingenii dotibus
 auxerit, multoque maiorem vim atque efficaciam iisdem
 addiderit. Vt autem, qui mihi scrupuli in elegantissima
 eiusdem disputatione haeserint, iusto ordine enumerem,
 non incongruum esse putavi, eandem, quam ille praeiuit,
 viam presso pede sequi, ita quidem, vt primum de
 lectione Liphiana, deinde vero de antiqua, quae illam
 praecessit, dispiciam.

Principio autem de primo Senatusconsulti membro,
 non est, quod multis agam. Nec enim unquam dubium
 fuit, mulieres, inuito domino, feruili amore debacchatas
 libertate priuatas fuisse. TACITVS quidem dixit: *ignaro*,
 quod de initio rei intelligendum esse recte monuit SCHVL-
 TINGIUS (o) Non aliter autem in seruitutem redigi po-
 terant, nisi post trinam denunciationem, excepto casu si
 mulier ingenua se sciens seruo municipum (p) aut actori
 seu procuratori (q) coniunxisset, tunc enim etiam citra
 denunciationem aucilla fiebat. Neque vero assentiendum
 videtur

(o) ad PAVLL. Sent. d. l.
 (p) PAVLLVS d. l. §. 24.

(q) arg. L. d. C. Tb. d. l. ubi vi-
 dens GOTTFREDVM.